

filium eius, ita summa ignorantia suæ
etiam linguæ vocabulorum, laborât.

Iosephus hoc loco Sardonychem
interpretatur: vnde decimam verò gem-
mam, quæ Schoham Hebraicè dicitur,
onychem: cum eodē nomine ma-
ximas in humeris pontificis gemmas,
Sardonyches interpretetur. tanta est
inconstantia. Mihi hoc in loco Sar-
dium verti placet. Schoham verò vn-
decimo loco Onychem interpreta-
ri, in humeris verò Sardonychem, nō
est absurdum: cum duæ hæ gemmæ
vnius generis species sint: Sardonyx
autem Onyche preciosior. quare Sar-
donyches [*Smaragdi, secundum LXX.*]
duæ magnæ, tanquam nobilissimæ,
aut lucidissimæ certè gemmæ, supra
cæteras seorsim in humeris poneban-
tur. Ex cæteris enim vt aliquæ etiam
maioris precij fortè sint, non æquè ta-
men splendent, aut ad eam certè ma-
gnitudinem non accedunt.